




Loccechii Andr. Scoti: Numen innomo amicum sive Victoria Ser. Princ. Demetrii Joannidis Moscovia Ducis eiusque devota gratitudo in auxiliares Polonos.

N

DE
MA

A

DE

# Numen Innocuo Amicum.

## SIVE
## VICTORIA

Serenissimi Principis,

# DEMETRII IOANNIDIS,

## MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS:

Eiusque Deuota Gratitudo,
In Auxiliares Polonos.

AB ANDREA LOEÆCHIO SCOTO F.

Quibusdam Externorum

DE NATALIBVS SERENISSIMI DVCIS
olim hæsitantibus.

*Ambigui, Genus & decora inclyta noscite mentis:*
*Noscite Sceptrigeræ semina vera domus.*
*Nulla deest virtus Heroo pectore digna*
*Demetrio. Hinc Generis pura medulla sui,*
*Mille neces audax per mille pericula quærit,*
*Mortem optans, Martis vel superare minas.*
*Ob Patriam primùm, ob patrium Diadema deinde,*
*Arma capit. Qui non debuit, hostis erat.*
*Reprobus Innocuo tentans inferre ruinam,*
*Irati expertus Vindicis arma Dei.*
*Numinibus superasti Hæres, pro te, inq; Tyrannum,*
*Sunt dextra subito fulmina missa Iouis.*



AD ILLVSTRISSIMVM HEROEM,

# GEORGIVM MNISZEK, DE MAGNA KONCICE,

Palatinum Sandomirienſem.

Cuius Auſpiciis factum eſt, vt

DEMETRIVS DVX,

Complicibus factionis Boruſſouii Hodunouii, partim ſublatis, partim ſubactis,

Regno præter hominum pænè exſpectationem potiretur.





# DEMETRIVS IOHANNIDES, MAGNVS MOSCOVIÆ DVX,

Per Anagramma.

DII, INVOCO: DEVS AGENS, HOSTEM DVRVM EXANIMAS.

# Numen Innocuo Amicum.

EGregium canere Heroem in ſua Regna receptum
Iuſtitui, puero cui vos Diadema paternum
Fata inuidiſtis: patriâ pepuliſtis; at ille
Inuidiâ maior veſtrâ, ferro ſibi Sceptra
Vindicat, & pulſus motas vlciſcitur iras:
Perdere nunc fruſtrà quoque quærit Erynnis. Adeſto
MNISCIADES, pietate nitens, tot ab hoſtibus vnus
Qui das ne caderet; ſic & ſua viuida virtus,
Et genus ingenuum, & mores, & cauſa mouebat:
Muſam oculis dignare iſtis, dignare fauore,
Fac eat, & redeat, cantu lætata ſecundo:
Namque potes. Res hæc pars eſt non vltima famæ
Crede tuæ: magnis ergo complexibus arce,
Inſonti toties ſtructas non hicce mouebo
Inſidias: toties vitata pericla tacebo:
Prætereo quicquid, pro illo, dum Regna repoſcit,
Sarmatica effecit magnum & memorabile pubes:
Solùm autem Innocuo fuerit quàm Numen amicum
Expediam. Vati nondum cantata ſub antris
Aoniis, memorate deæ. Certamina dextrâ
Hectoreâ video vt peragat. Sic captus amore

 Forèt

Fortè canis venandi, animis generosus & ausu,
Ingentem si conspiciat maioribus aprum
Viribus excellentem, agitat sub pectore virtus
Pro stimulo: pudet ingenuum concedere forti;
Nî vincatq; mori pulchræ in discrimine pugnæ
Quàm superesse optat. Quot in vnum! Grandinis instar
Tanta cohors vertit strictis se cominùs hastis.
Omnibus inuictus, victricibus hostica dextris
Agmina disiiciens, Auctori haud inuidus actor
Vincendi causas tribuit, vicisse Iouemq;,
Seq; manus illi tantùm tribuisse sequaces.
Vltimus ecce labor superest, superare Tyrannum
Arcentem Patriâ. Rerum at cui summa potestas,
Arma virumq; osus Mauorte haud æqua tuentem,
Iussit abesse metum: inuisam stirpemq; domumq;
Deletam fore ait, non sera fidesq; sequuta est.
Iam requies animis, populis pax reddita fessis.
En Princeps facilis, mitis, neq; pronus ad iras,
Offendat quamuis scelerati iniuria belli,
Subiectis parcit, dat victis oscula, dulci
Complexusq; fouet dextrâ: iam mœnia magnus
Implet concursus, Dominumq; salutat, amatæ
Auctorem vocitat pacis, certumq; paterni
Tutamen Regni. Duplices ad sydera palmas
En Victor tollens, sic Diuos voce precatur:
DII, vobis grates, vestri argumenta fauoris
Ob manifesta mihi. Vos votis dum INVOCO supplex,
Fortia AGENS cæpit vim robore sternere (vestris,
Credo, patrociniis flexus) DEVS. Ecce repressa
Arma per hunc Solium Marte infestantia nostrum.
Vester ego, tantos per quos absoluimus orsus:
Vester ego, per si fidei quod Numen amicum est.
Vincitis hunc DVRVM: non viribus ille subactus
Fata meis subiit, Cælum (an dubitem?) adfuit, omne
Et fregit

Et fregit robur. Digni ô monumenta perenni
Quos decorent titulo, nullis obnoxia fatis,
Vester ego totus. Me victa absorbeat, esto,
Terra priùsquam vos fallam, promissaq; rumpam.
Omnipotens, quamuis potuisti sternere verbo
In me surgentes, clarere illustribus actis
Vis tamen hanc dextram, velut instrumenta furoris
Lecta tui. EXANIMAS HOSTEM, & tua signa sequutum
Præficis in Regnum: successus ipse secundos
Suppeditas, tribuisq; frui discrimina passo
Et pace, & celebri partæ mihi nomine Laudis.
Est infra meritum quicquid tibi, Magne, rependam
Sat scio: mentem etiam scio te perpendere gratam;
Hanc tibi do. Modò concessis superesse Triumphis
At si concedis, fundetur acerbior hostis.
O Fidei placeat per me succurrere rebus!
Monstra esto, ferro quæ non superantur, & igni;
Ast animi haud deerunt. Sunt queîs hæc laurea Fratres
Debita, Seraphicoq; antehac obtenta fauore:
His labor incumbat fidei mysteria auitæ
Spargere pectoribus, quæ (heu) ignorantia reddit
Cæca tui, cæcoq; inuoluere pergit Auerno.
Splendida Apostolicis Templis donabo Trophæa:
Obscuras reddam infensas idem ignibus aras.
Da modò votum hoc vt valeat, tibi fana Triumphans
Assurgant faciam: me me in tua iussa ministro,
Relligio prisco rursus se cernet Honori
Restitui, & fundi, quiscunq; sit impius, hostem.
Dicite Iô Pæan, seu vos quos arma rebelles
Iecere ante pedes, seu vos quos terror adegit
Gradiui procul à laribus discedere vestris,
Conscia seu culpæ quos mens inquirere sedes,
Censurâ vt dignos, aliena sub arua trahebat.
En quæ causa metûs vobis, mihi causa Triumphi

 Extitit:

Extitit: immiti en cum milite ductor iniquus
Fusus: quæ minitatus iners fata ipse subiuit.
Robur vbi nostræ nunc formidabile genti,
Quodq; timore sui luctu concusserat atro
Corda virûm? Nobis tantæ Victoria molis,
Quâ quæsita salus (agnosco) Cælitùs orta est,
Quæ potuit vis esse, fuit, maturius æuum
Cernere ne detur. Tentata est mater vt astu,
Falsa dolis eadem, latitantem conscia cædi
Exhibeat! ne, quæ nunc reddita, Regna paterno
Succedens moderer Sceptro; ne maior auitum
Imperium augerem. At seu fidi fraude Magistri
In tutum cessi, seu fauit sydus amicum,
Dii contrà facitis: reprobam curam ire per auras
Iussistis (neq; enim nostræ sine Numine eunt res)
Tutati dubium, Solio donastis, humumq;
Iam propè spectanti dextrè molimina cedunt.
Scis victe esse Deos, Marti qui ponere iniquo
Fræna queant, Stygias exauctoratus ad vndas.
Magna equidem vobis debetur portio palmæ
Istius, auxilio quorum expugnauimus Hostem,
Sarmatici Heroes, quorum in discrimine belli
Emicuere animi, roburq; inclaruit ausis.
Quis, precor, instinctu mentes non iudicet actas
Ætherio vestras? Mihi vos, succurrere suetus
Cùm minimum auxilij humanis speratur ab armis,
Iussit in auxilium Deus arma virosq; mouere.
Sic decuit parere Deo. Quis ô explicet ore
Quid sit me Sceptris, vos Famâ auxisse perenni!
Si maius fuerat Romæ seruare vetustæ
Ciuem, quàm plures hostes fudisse, quid ob me
Patria seruatum vobis debebit? An illa
Sat ducet Quernâ Victorum tempora fronde
Cingere? Quod ciues non sese extendit ad vrbis
Vnius, officii, sed libertate beauit

Diffusam

Diffuſam gentem, à nobis quæ (quæſo) referri
Præmia ſperetis? qui dextris, vindice Cælo,
In me tot ciues, quot habent mea regna colonos,
Seruaſtis. Mos Italiæ, quæ vendere fumos
Gaudet, eat: Moſci grati argumenta, Poloni,
Hæc capite, aut noſtris mecum conſiſtite Regnis:
Aut ſi tangit amor (ſcio monſtra rebellia Regi
Quàm veſtro inuideant) ereptas poſcere ſedes,
Hoc, & quorumcunq; capax eſt noſtra poteſtas,
Vobiſcum ſtatui caput obiectare periclis,
Per maria & terras: duroq; occumbere letho
Stat potiùs: non me capiet (iuro) vlla laborum
Affectata quies (prohibet niſi vertere duris
Quæ fatis placuère Deus) perrumpere in oras
Quàm Suecas dabitur, Dominoq; videre ſubactas.
Magne HEROS, monachus cui dat cognomina paruus,
Nomen at in vaſtum qui fixit tela draconem,
Te, præ aliis cunctis, per quos ſeruauit ab hoſte
(Eſſe videbar ego cui non ſuperandus ab illo?)
Me Deus, & veſtris fecit ſuperare maniplis,
Nulla dies vnquam memori priuauerit æuo: at
Ad Superos tanti tranſibit gratia facti,
Poſtq; Iouem parti vobis adſcripta Triumphi
Lætitiam referet, meritiq; reponet Honorem.
Dixerat: extemplò Cæli ſeptemplicis orbes
Sint rata vota iubent. Aliud mirabile viſu,
Dum loquor, obiicitur: ſed non ego tantus aruſpex.
Quid, Venus, ætherii meditaris culmine olympi,
Hectoridem ſpectans Iuuenem? Conſiſtere coràm
Aſpicio Nympham fulgentem colla monili,
Ornatamq; auro crines: deiecit honeſtos
Ad terram illa oculos, vltro lætumq; ruborem eſt
Faſſa genis: puer en telum pharetratus in illam
Vi totâ torquet, Iuuenisq; incendit amore.
Iunonem video flammati pectoris ignes

Qua

Quâ ſuperet ſed non ſubigat ratione docentem,
Laudantemq́; pios thalamos, magnoſq́; Hymenæos.
Mitibus en virgo iam voces auribus haurit;
Iamq́; pii patiens ritûs ardeſcit, & optat
Coniugium: veluti tacitus quibus ignis inhæret
Aura ſolet rapidâ ſtipulas accendere flammâ.
Cætera Dii noſtis: non fata recludere noſtrum eſt.
At dabitis, ſpero, dabitis mihi luminis auras,
Connubium vt videam firmatum fœdere certo,
Vt videam fœdus firmatum pignore ſacro,
Et pia vota ſuper Thalamos & pignora fundam.

## AD DEMETRIVM MAGNVM MOſcouiæ Ducem: de Illuſtriſsimo Heroe, GEORGIO MNISZEK, PALATINO Sandomirienſe.

*Viciſti Princeps, cecidit Dijs victus at ille*
*Tollere qui voluit Regna paterna tibi.*
*Credita res poſſe haud fieri ſine Numine: Numen*
*Vnum (multorum qui tamen inſtar erat)*
*Excitat Heroem, quo tu, ceu Cæſaris armis,*
*Subijcis Imperio debita Sceptra tuo.*
*Roma, tuum Decium ceſſa iactare: Polonus*
*En prior hic Decio, aut robore maior adhuc.*
*Hoc auctore ingens quàm creuit Gloria Gentis,*
*Tam felicem illum poſtera ſecla canent.*



CRACOVIÆ, Anno Domini 1605,